



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
CHRISTI  
1274. runt statuit, in suo volumus robore permanere.

I V.

Idem in eodem. Auaritiæ cæcitas & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi a iure interdicta nouerint, exquisitis fraudibus usurpare conentur: nonnulli siquidem ad regimen ecclesiarum electi, quia eis iure prohibente non licet, se ante confirmationem electionis celebratæ de ipsis administrationi ecclesiarum, ad quas vocantur ingerere, ipsam sibi tamquam procuratoribus seu œconomis committi procurant. Cum itaque non sit malitiis hominum indulgendum, nos latius prouidere volentes, hac generali constitutione sancimus, vt nullus de cetero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub œconomatus, vel procurementis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus per se vel per alium pro parte vel in totum gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos qui secus fecerint iure, si quod eis per electionem quæsitus fuerit, decernentes eo ipso priuatos.

V.

Idem in eodem. Quam sit ecclesiis ipsarum dispendiosa vacatio, quam periculosa etiam esse soleat animabus, non solum iura testantur, sed etiam magistra rerum efficax experientia manifestat. Cupientes itaque competentibus remedii vacacionum diuturnitatibus obuiare, hoc perpetuo de-

560 GREGORIVS CONCILIVM RUDOLPHVS I. IMP.  
P. X. PHILIPPVS III. R. FRANC.

creto statuimus, vt si quando fuerit electio in aliqua ecclesia celebrata, electores electionem ipsam quam citius commode poterunt electo presentare, ac petere consensum ipsius, procurent: electus vero illum adhibere infra mensem a tempore presentationis huiusmodi teneatur. Quem si electus ipsi praestare ultra distulerit, iure, si quod ei ex sua electione fuerat acquisitum, extunc se noverit eo ipso priuatum: nisi forsitan ea sit electae personae conditio, vt electioni de se celebratae absque superioris sui licentia ex prohibitione, seu quavis prouisione sedis apostolicæ, consentire non possit. Quo casu, idem electus, seu electores ipsius, consentiendi licentiam ab eius superiore cum ea celeritate, quam superioris ipsius praesentia vel absentia permiserit, petere studeant, & habere. Alioquin, si lapsu tempore pro eiusdem superioris praesentia, vel absentia, vt premititur moderando huiusmodi licentiam, eos nequaquam obtainere contingat, electores extunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Ceterum quiuis electus infra tres menses post consensum electioni de se celebratae praestitum confirmationem electionis ipsius petere non omittat. Quod si iusto impedimento cessante infra huiusmodi trimestre tempus omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur.

V I.

Idem in eodem. Perpetuae sanctionis oraculo declaramus, quod scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio

præ-